

**Dissertationem inauguralem de catarrhis : sive morbis ex seri sanguinis
motu & decubitu p. n. ortis / praeside ... Christiano Vater ... MDCCI ...
submittit Daniel Praetorius.**

Contributors

Vater, Christian, 1651-1732.
Praetorius, Daniel, active 1699-1701.

Publication/Creation

Wittenbergae : Typis Christiani Fincelii, [1701]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mhn8bzz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONEM INAUGURALEM 47

DE

CATARRHIS, *sive* MORBIS

Ex seri sanguinis motu & decubitu

p. n. ortis,

Ex Decreto & Authoritate

Gratiosi Medicorum Ordinis

In Illustri Academia Vitembergensi

P R A E S I D E

RECTORE MAGNIFICO

DN. CHRISTIANO VATER,

Philos. & Med. Doctore, Ejusdemque Profess. Publ.

& Physico Provinciali Saxonico,

*Domino Patrono, Promotore ac Hospite suo piè
devene rando,*

PRO LICENTIA

Summos in Arte salutari Honores & Privilegia consequendi

Ad D. Nov. MDCCI.

Publico Eruditorum Examini submittit

DANIEL PRÆTORIUS,

Budissá - Lusatus.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI FINCELII.

V I R I S

*Præ nobilissimis, Amplissimis, Consultissi-
mis & Prudentissimis*

DOMINIS

CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORI,
CAMERARIIS,
SCABINIS,

Totiusque adeo

ORDINIS SENATORII
REIPUBLICÆ BUDISSINENSIS

Assessoribus Gravissimis, Spe-
Etatisimis,

*Dominis, Patronis atque Evergetis
bumillime Colendis.*

Gnoscite, Viri Prænobilissimi,
quod oculos curis publicis intentos in literas
basce, privatæ gratitudinis testes, avocare
audeam, si quidem calcar audaciæ meæ addidit fre-
quens beneficiorum vestrorum in familiam nostram
collatorum recordatio, quæ si remunerare nequeo, de-
prædicare volo, quanquam nec piæ huic intentioni pa-
res respondeant vires. Tanta enim est benevolentia ve-
strorum macum beneficentia conjuncta, qua Parentem
meum, Deo & Ecclesiæ vestræ adbuc dum inservien-
tem, per integros XXII. annos amplexi estis, ut banc
meritis extollere laudibus Vobis tædiosum, mihi autem
impossibile foret; Permittatis interim, ut beneficio-
rum tantum illorum, quorum me ipsum abunde satis
participem reddidistis, gratam publico nomine faciam
mentionem, & ut alia taceam, unicum sufficiat sin-
gularis Munificentie Vestræ monumentum, quod an-
te annum, cum adbuc studiorum causa in Belgio Con-
fœderatorum degerem, mihi benigne declarastis, ut
primitias Stipendii Academicæ gratiōse concessi jam-
jam ipso opere perceperim. Quare cum vitæ Aca-
demicæ coronidem imponere animus sit, necessarium
esse duxi, ut Vobis, Viri Amplissimi & Consultissimi,
quibus tanquam Patriæ Patribus primaria studiorum

hactenus gestorum ratio reddenda venit, praesentes
has pagellas, utut debilem ingenii mei fætum, ea,
qua decet, animi submissione humillime offeram.
Faxit Clementia Divina, ut diu adhuc & secure Res-
publica sub vestro, Domini Prudentissimi, floreat re-
gimine, sic nullum est dubium, quin incluta nostra
Budissa & apud exteris celebris tales sit educatu-
ra filios, qui bono publico consulere & prospicere ex
voto poterunt; me vero eo, quo hactenus dignati estis,
favore nunquam indignum iudicetis, obnixe precor,
& si pro virium tenuitate, cum tempore, servitii &
commodi quicquam adferre valeam, me maximopere
pro patria natum esse credatis: gloriae enim hoc tribu-
endum est, quando quis idoneus censetur, ut patriæ
operam suam spondere & probare posfit. Servet Vos
Deus, Patroni Optimi, qui pia & justa propatria de-
cernitis consilia, quod cum observantia debita ex inti-
mo corde voveo.

Magnorum Vestrorum Nominum

Cultor Devotissimus

D. PRÆTORIUS.

Tb. I.

Emeritatis notam incurrerem,
si de insufficienti humorum imprimis sero-
forum morbificantium theoria vel therapia
Doctores Medicos accusarem ; Evidem-
tot tantaque eorum tam veterum quam recentiorum
volumina extant, ut omnibus evolvendis vix vita unius
sufficeret ; Nihilo tamen secius, textura & struetura
machinæ nostræ hydraulico-pneumaticæ indies magis
detecta & clarius demonstrata, etiam motus & secre-
tiones succorum, uti naturales, ita præternaturales in
eadem magis magisque, cum ingenti artis nostræ emo-
lumento ægrorumque commodo, patescunt. Ita ple-
nius jam cognitis glandularum vasorumque aquifero-
rum ortu, textura, situ & connexionibus longe
quoque clarius humoris illius serosi, seu lymphatici se-
cretio, distributio & circulatio tam naturalis quam
præternaturalis & morboſa intelligitur, ut veterum
de catarrhis aliisque innumeris morbis serosis doctri-
næ parum, vel nihil prorsus veritatis amplius retinere
videantur ; Uti patet è doctrina de Catarrhis, quam
Speciminis Inauguralis loco Consensu gratosissimæ
Facultatis Medicæ suscipere & thesibus hisce succinctis
delineare placuit. Faxit Jehova feliciter, ut in ipsius
gloriam & ægrorum solatium vergat.

Tb. II.

Catarrhus quidem vi vocis nihil aliud, quam defluxum & decubitus cuiuscunq; humoris sive serosi, siue alias in partem aliquam solidam denotat: Quo sensu etiam nullus fere morbus datur, qui non à catarrhis ori-ri veteribus dicatur ; unde etiam nomen istud Catarrhi huc usque retinere necessum fuit, ut vulgi opinio inveterata salvetur, qui nihil magis quam catarrhos lo-quitur : Sed specialiori hodie sensu tantum affluxus & decubitus humoris aquosi, vel serosi sub eodem concipiatur ; quamvis neque hanc expressionem morbo intento, & fundamentis jam solidioribus satis congruam judicaverim ; quandoquidem affluxus & refluxus, seu circuitus humorum & in specie lymphæ naturalis sane est, nec nisi in motu suo impeditus catarrhum proprie dictum efficit : Imo affluxus vel decubitus talis humoris aquosi per se neque morbi, neque symptomatis rationem habet ; Indeque potius Catharrhum sub hoc formaliter concipimus, quod sit *læsio, seu læsa constitutio partium solidarum corporis humani à motu & circulo seri impedito orta.*

Tb. III.

Hac ratione omnino Catarrhi quoque locum inter morbos intemperiei merentur, qua partium & membrorum omnium, ubicunque sero & lymphæ transitus debitus denegatur, temperies & tonus immutatur, conseq[ue]nter functiones læduntur, vel prorsus abolentur. Sed ut tales læsiones ab aliis dignoscantur, opus est, ut omnes causæ & circumstantiæ tam antecedentes, quam concomitantes & consequentes pro-be

be intelligantur: Alias enim plures tales aliunde quoque corpori nostro contingere queunt, quamvis nullus fere morbus sit, cui etiam motus ejusmodi lymphæ impeditus fores aperire, aut ad minimum complicari nequeat.

Tb. IV.

Ideoque loco causæ proximæ & perpetuæ omnis Catarrhi posuimus motum & transitum sieri sangvinis impeditum, id est, difficilem, interruptum, aut prorsus inhibitum & retrogradum, vel extra limites naturales tendentem: Notum enim est, quod ubivis locorum in corpore à sanguine, nectare illo vitali, ad arteriarum minimas extremitates propulso, antequam in venas eundem revehentes abeat, pars quædam aquosa, purissima & limpidissima, sive mediantibus glandulis, sive solum porulis & tubulis aptis transcoletur, indeque per peculiaria vasa lymphatica versus sanguinem, tanquam fontem suum, rursus derivetur, aut solum in cavitates certas colligatur. Quia autem secrezione & transcolatione denegata, aut quocunque modo depravata, fieri non potest, quin omnis visceris, aut partis istius temperies, textura & functiones quoque lœdantur.

Tb. V.

Materiam ergo Catarrhorum unicam & adæquatam serum esse patet, partem illam præcipuam & maximam sanguinis aquosam, non quidem prorsus simplicem aut homogeneam, sed plurimis partibus heterogeneis, iis tamen maxime subjugatis & cum aqueis dilutis stipatam. Latex scilicet ille purpureus quamdiu per arterias & venas vortice suo continuo agitatur, homo-

homogeneus quidem appareat, adeo ut tam in singulis ejus guttulis, quam integra massa æquabilis omnium ingredientium permisso existat; quam primum vero extra motum istum constituitur, uti appareat in sanguine per venæ sectionem educto, sua sponte statim in duas illas partes, grumosam scilicet & serosam, seu aquosam secedit: Quarum illa è globulis magis oleosis & rubicundis constat, quæ proinde aeri expositæ cum gelatinosis aliis in coagulum statim abeunt; Hæc vero magis aquosa, partibus tamen quoque heterogeneis Θnis, & eis, gelatinosis aliisque imprægnata, quantitate longe superat, & in uasa lymphatica transcolata lympham constituit quæ ipsa adeo nihil quoque aliud quam ipsissimum sanguinis serum est, magis tamen transcolatione ista per minutissimos porulos, tubulos & vascula purificatum, attenuatum, & in quibusdam visceribus glandulisque, ob concursum nervorum, suco eorum subtilissimo & spirituosisimo auctum. Ex quo appareat, quod etiam saliva, succus gastricus, pancreaticus & similes huc pertineant, licet peculiares tubulos & ductus à lymphaticis tenerrimis distinctos in certas cavitates prius deriventur, antequam cum sanguine rursus miscentur, fecus ac lympha illa, quæ cum venulis suis aquiferis immediate rursus sanguini infunditur.

Tb. VI.

Hujus autem à sanguine secretio & continuata motio à variis admodum causis & injuriis interturbari & lædi potest, quæ tamen omnes ad culpam ipsorum humorum vel vasorum, vel utriusque pertinent & referuntur. Ante omnia hic suppono, arterias venas-

que

que capillares proportione majores esse suis truncis, ita ut simul sumptæ majorem etiam sanguinis quantitatem recipere possint, quam ipsi eorum trunci; Indeque fieri necesse est, quod pulsus in extremitatibus istis capillaribus quodammodo fatiscat & consequenter motus sanguinis localis, qui antea sub cordis arteriarumque diastole interruptus, hic sine interruptione quidem continuus, sed blandior & lenior fiat, præcipue cum iisdem extremitatibus capillaribus etiam tunica exterior decedat, ut vasis venosis similes fiant, vel in venas plane mutentur; nullam, uti mihi quidem videtur, aliam ob causam, quam ne nutritiæ partes celerius, quam par est, ibidem abripiantur, & quoque lymphæ secretio felicius perficiatur. Eandem vero proculdubio, aut etiam majorem subtilitatem & angustiam habent quoq; surculi venarum lymphaticarum, per viscera & glandulas disseminati; ut taceam valvulas innumeratas, nodulos & plexus retiformes horum vasculorum, quales ductu Anatomici incomparabilis, celeberrimi *Ruyschij*, & *Magnif. D. Præsidis, Præceptorum meorum colendissimorum* non semel videre & admirari mihi licuit: Quibus omnibus suppositis & cognitis ultro certe patet, quam facile extremitates & tubuli ejusmodi capillares & flexuosi à quibuscumque injuriis obstrui, comprimi aut distorqueri, indeque secretio & transitus debitus seri fieri nequeat, ut etiam serie sequentium causarum mox patebit.

Tb. VII.

Sed longe plures culpæ in humores ipsos secernendos redundant, quando scilicet sanguis, vel in spe-

cie serum modo quantitate déficiente, vel excedente, modo qualitatibus, aut motu peccat. Quamvis enim tuborum & pororum dispositioni & proportioni debeat, quod è sanguine nonnisi serotæ partes in glandulas & vasa lymphatica abeant; easdē tamen ad trans-eundum adaptat, & separatio nem maxime promovet motus ipsius sanguinis & seri intestinus & circularis; qui igitur humores, si rationibus istis dictis peccant, fieri non potest, quin etiam canalibus & organis ipsis, per se insontibus & salvis, secretiones ipsorum & motiones turbentur & impedianter. Imprimis vero sanguis crassus, viscidus, acidus, scorbuticus, aut etiam nimis tenuis lixiviosus, acris & fervidus hic accusari meretur: Ille quatenus tubulos & porulos colatorios opplet, obstruit, aut constringit; hic vero præter motus peregrinos etiam tubulos erodit, lacerat, sicque lympham extra limites abire facit. Unde etiam est, quod phlegmatici, cachectici, scorbutici, lue & ea affecti, hypochondriaci & similes, quacunque etiam occasione data, catarrhis in collo, faucibus, lumbis, articulis & nullibi non affligantur.

Tb. VIII.

Ita quidem est, quod ad ejusmodi decubitus & stagnationes feri seu lymphæ etiam innumeræ aliæ causæ occasionales disponant, omnes tamen vel vasorum istorum angustiam, vel humorum vitia modo dicta aut utrumque inducendo. Illarum agmen ducit aer quovis momento per inspirationem & transpirationem intimius admissus, sive solum frigidus tam humores ipsos cogendo & inspissando, quam etiam tubulos vasorum constringendo; sive humidus, nebulosus,

plu-

pluviosus, aut effluviis linteaminum madidorum, balneorum, aliisque saturatus partes aquosas & crudas supra modum augendo ; Non minus tamen etiam nimis calidus, aut etiam fuliginibus acribus, fermentabilibus, putridis repletus motus humorum intestinos & circulares augendo, salia exaltando, invertendo & sic porro.

Tb. IX.

Pariter cibi potusque catarrhorum causæ fiunt, quando qualitatibus istis jam in aere accusatis peccant, sive solum copiosius assumuntur, quam nutritionis necessitas exigit & à ventriculo reliquisque visceribus digeri & in succum sanguinemque converti possunt. Id cum damno suo toto die experiuntur, qui gulænimium indulgentes omnis generis cibos, etiam si delicatissimos ad nauseam usque ingerunt ; multo magis, si cibi isti nimis variabiles, saccharati, aromatici, acidi, os, fermentabiles, pingues hujusque farinæ plures etiam uno eodemque tempore simul assumuntur, è quibus omnibus chylum laudabilem & nutritioni satis aptum generari posse impossibile est : Qualis autem chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis lymphæ, talesque secretiones & motiones humorum. Idem iisdem contingit, qui nimio potu sive cerevisiæ, sive vini, aliasve & citra discrimen temporis mane æque ac noctu se ingurgitant, utpote quo præ coeteris ventriculi & reliquorum viscerum tonus prorsus dejicitur, & non nisi crudus aquosusque chylus in sanguinem mittitur ; ut adeo proverbium istud, *Güsse machen Flüsse / in illis apprime locum inveniat.*

Tb. X.

Motus vero & quies quoq; catarrhis generandis occasionem præbent, quando modum excedunt, vel non attingunt : Nam si immoderatio fuerit ille, sanguinem & reliquos humores quoque vehementius, quam pars est, agitat, ad incandescentiam nimiam resolvit, citius in extremitates impellit & extra limites protrudit; Cui si refrigeratio quædam supervenerit, eo intimius frigus per poros simul dilatatos penetrat, & motum plane contrarium, constringendo eos & condensando, inducit, in quibus ratio & fundamentum catarrorum consistit : Quies vero excedens impedimento est, ne humores satis prompte moveantur, nec rite per transpirationem ventilentur ; id quod etiam à somno immoderato & inordinato contingit, ubi præterea elater spirituum sensibiliter remittit, & humores eo magis in se subsident, accumulantur. Hinc recte dicitur, quod somnus largior humectet, cœteris paribus, & meridianus ac excessivus, diurnus æque ac nocturnus catarrhis fores aperiatur.

Tb. XI.

Accedunt his excernendorum naturalium retentio, & retinendorum excretio vitiosa, si v. g. feces alvi, urina, sudor, menses, hæmorrhoides, lochia &c. non succedunt rite, tunc fieri non potest, quin impuritates istiusmodi cumulatæ sanguinem & reliquos humores inquinent, è quibus omnibus occasionem catarrhis nasci, antecedentia docent. E contrario ab excretionibus nimis, aut præternaturalibus vires de-

jici-

jiciuntur, viscera vigore suo defraudantur, humores spiritibus suis orbantur & lentescunt, unde non nisi vitiosas digestiones & secretiones fieri necesse est. Hæc ratio etiam est, quod veneri nimium litantes catarrhis quoque frequentioribus tententur, quoniam per ejusmodi abusus, & subtilissima parte fieri absunta, non nisi viscidior, vappescens & in motu segnior relinquitur.

Tb. XII.

Ex præternaturalibus causis jam monuimus quod cachexiæ omnis generis fontem & occasionem catarrhis præbeant, quib⁹ adhuc accenseri meretur debilitas & laxitas ventriculi, non quod fuligines aquosæ immediate per gulam versus cerebrum adscendant, sed quoniam crudum & aquosum chylum in sanguinem mittit. Ita viscera glandulosa, imprimis lien & hepar huc maxime faciunt, quando propter obstructionem, vel laxitatem solam officio suo colatorio non funguntur, lymphamque è numerosissimis vasculis aquiferis, ibidem oriundis, non rite distribuunt. Ideo lienosi & hypochondriaci obſervantur sputatores, eo quod lympha ibidem pluribus locis in motu suo impedita, alibi & per glandulas salivales exitum affectet: Ita nemo necit, quod vitia membrorum undecunque inducta, nempe calli, contusiones, contortiones, dentes cariosi, & similia transitum expeditum humorum toto die intercipiant, eo que ipso decubitus imprimis seri in has vel illas partes efficiant. Ejusmodi vitia & texturæ partium debiliores etiam hæreditariæ in culpa sunt, quando catarrhi sæpius unam eandemque partem magis afficiunt, & eodem modo recurrunt, unde vulgus expe-

rientia edoctus dicit: Wo die Flüsse sich einmahl hingewehnet / da kommen sie gerne wieder.

Tb. XIII.

Atque his omnibus præ cognitis, credo, patet, fontem & originem omnium catarrorum primarium & universalem solum sanguinem esse, utpote a quo & cum quo omnes reliqui humores, & imprimis serum ad universas corporis partes distribuuntur, in certas cavitates colligendi & excernendi, aut per peculiares ductus & per circulum in sanguinem reducendi. In eo ergo nimium errarunt Veteres omnes, qui catarrorum omnium fontem unice in cerebro quæsiverunt, quasi nulla seri collectio, vel decubitus præternaturalis fieri posset, nisi prius in cerebro generali, & secreti vel collecti, indeque per vias nescio quas, ad inferiora destillarent; Quam proinde doctrinam, veluti execrandam hæresin in reipublicæ, & familiarum perniciem conspirantem jam tum non immerito damnarunt *Helmontius in Catarrorum Deliramentis, Schneiderus in operosis libris de Catarrhis, aliique.*

Tb. XIV.

Ita quidem est, quod cerebrum non minus, ac aliæ partes glandulosæ, imo & præ aliis partibus sero sanguinis, uti naturali, ita quoque præternaturali sæpius perluatur & obruatur. Cum enim substantia & compages ipsius, imprimis corticalis, non nisi è glandulis, juxta Malpighium, vel potius congerie & textura exilissimorum vasculorum & tubulorum constet, quo-
rum

rum arteriolæ mirifice inter se contextæ, contortæ & complicatæ exteriorem & corticalem ejus peripheriam componunt, à qua deinde canaliculi, isti nervei, tanquam excretoria vascula exeunt, omnemque succum nervosum, in nervos continuatos derivandum, hauriunt, fieri omnino facillime potest, quod secretio ista vel ob vitium ipsius sanguinis, vel etiam ob injurias externas, quibus caput præ aliis obnoxium est, ibidem inhibeatur, indeque humiditates largius, quam pars est, colligantur, uti etiam in cadaveribus non raro reperiuntur, tanquam affectuum soporosorum, apoplexiæ, lethargi, cari, epilepsiæ, hydrocephaliæ, aliorumque morborum frequentes causæ.

Tb. VX.

Ita quoque nihil frequentius est, quam humiditates ejusmodi circa glandulas faucium, aurium, oculorum, narium &c. hærere & restitare, ibidemque tumores, dolores, inflammations, aliaque mala inducere; non quod à cerebro immediate eo decumbant, uti Veteribus visum, nullæ enim viæ exinde patent, sed quoniam serum cum sanguine per arterias eo delatum inter glandularum plexus transcolandum & separandum, data occasione à frigore vel aliunde, facililime in motu suo impeditur & turbatur: Per easdem vias & comites venas lymphaticas, revectioni seri istius dicatas, etiam pulmones, pleura aliaque viscera, imo omnes artus suos patiuntur catarrhos, ut proinde nullas alias à cerebro, vel solum capite eo descendentes fingeret opus sit, uti nunc è differentiis & speciebus catarrhorum clarius adhuc patebit.

Tb. XVI.

Tb. XVI.

Nam dantur variæ admodum catarrhorum species; Et quidem primum ratione subjectorum modo hærent in naribus & coryzam, in oculis inflammationem, lippitudinem, nebulam &c. in maxillis & gingivis dolores dentium, in faucibus raucedinem, anginam, in thorace tussum, pleuritidem, phthisin; in articulis tumores & dolores aliaque mille mala efficiunt; Nullas autem præter arterias & nervos advehentes, & venas sanguiferas aquiferasque avehentes vias agnoscunt hæ partes. Ita ejusmodi humores serosi non raro viscera septo transverso inferiora, imprimis ventriculum & intestina occupant, quando occasione potus minus temperati, frigidi, fermentabilis, aliorumve in diæta errorum, glandulæ ipsorum primum obstructæ, deinde ab affluente nihilominus sero, ipsisque contentis acribus irritatæ continuo lacrymantur, eoque ipso alvi profluviu, aliis non incommode catarrhum intestinalem vocatum, nec non tormina, inflammations, ulcerationes, aliaque mala inducunt.

Tb. XVII.

Hac occasione etiam mentio facienda est catarri, quem vocant suffocativum, ubi sanguis per arterias venasque pulmonales circumiens ibidem subito sufflaminatur & in motu isto cum præsentaneo suffocationis periculo impeditur: Solius ergo sanguinis per thoracis contenta viscera motus impeditus istius suffocationis causa existit, sive ejus copia, sive crassities & coagulatio aut regurgitatio ex quadam suppressione,

five

sive viarum angustia & polypiscordis, vel aliunde in culpa sit, de quibus exempla in cadaveribus aliquoties observavit *Magn. D. Preses*, & notata alia, si placet, videri queunt apud *Dolæum Encyclopæd. Pr. L. I. C. 14.*

Ephemer. Germ. A. I. Bonett. in Sepulchreto & alibi:
 Unde etiam fit, quod ab infuso solum spiritu vitrioli, vel ~~is~~ in venas crurales, vel jugulares, canes subito catarrho ejusmodi seu anhelatione, cum ingenti constrictione præcordiorum, stertore & tandem morte subitanea corripiantur; ut adeo hic affectus non tam ad seri, vel lymphæ, quam ipsius sanguinis morbos, multo minus ad cerebri, sed potius thoracis affectus spectet; Quandoquidem pulmones quoque suis vasibus lymphaticis numerosis per superficiem excurrentibus gaudent, in quibus lymphæ motus impeditus etiam huic malo occasionem quandam præbere, sed non solus suffocationem adeo subitaneam efficere potest: Imo etiam nervorum à succi nervosi culpa malum accersi potest, quando denegato ejus influxu debito, undecunque etiam fiat, motus fibrarum peristalticus & consequente humorum inhibetur & tollitur; Quo casu etiam non incommodo apoplexiæ pulmonalis species nominari potest.

Tb. XVIII.

Sic ab affluxu & decubitu solius seri in partes distinguendi probe quoque sunt decubitus & egressus aliorum humorum, uti fit in hydrope, ulceribus, aliisque erosionibus vasorum: Pariter quoque motus & circulus impeditus sanguinis ipsius in partibus quibuscunque, imprimis vero artibus eorundemque parti-

bus musculofis & membranosis cum majore minorive dolore, cum vel sine tumore, rubore, inflammatione, &c. à catarrho proprie dicto differt, quem propterea affectum in specie rheumatismū appellare s̄evit excellentissimus D. Wedelius, Preceptor meus ad urnam colendus; uti videre licet in Pathol. ipsius Dogmat. Med. Sect. III. c. 10. Cui etiam jungantur Jof. Jacks. Enchyrid. Med. c. 32. Lister Exercit. Med. 6. Car. Pis. Obs. & Consil. S. V. C. I. Havers de Rheumatismo p. 262. f.

Tb. XIX.

Alias etiam catarrhi quam maxime ratione ipsius serī vel lymphæ differunt, quandoquidem eadem modo tenuis magis est & subtilis, modo crassa, densa ea-que acida, vel lixiviosa aut falsa, inuriatica, interdum plane insipida & plus minus larga deprehenditur; & pro diversitate ista aliisque concurrentibus circumstantiis & causis, modo calorem, modo frigus, item do-lores modo acutos, modo obtusos, vagos, vel fixos, cum vel sine tumore, aliaq; symptomata progenerat. Ita dantur catarrhi plane ferini, maligni, epidemici vel spo-radici à sero, Θbus nimium acribus volatilibus, vel fixis imbuto, orti. Tales catarrhi s̄ae pius hinc inde epide-mice, ex tempestate aeris in-equali valde, grassantur, s̄ae pius cūm insigni malignitate, lentore & acrimonia, qua non solum motum sanguinis intestinum & circula-rem ubivis inhibent & turbant, sed ubicunque decum-bunt, vel transeunt, partes quoque erodunt & irritant: Hinc ingruentibus ejusmodi malis aliquos subito occu-pant horrores & febres, cum gravitate totius corporis & imprimis capitis, somnolentia vel etiam convulsio-nibus; ob motum imprimis lymphæ nerveæ per po-ros

ros cerebri & nervorum impeditos : Alii subito obmutescunt cum tanta respirationis difficultate, ut suffocari fere videantur, nec tusire possunt, ex eo, quod pectoris partibus lympha vitiosa ipsis hæreat. Plures ob circulum sanguinis ibidem impeditum corripit inflammatio alterutrius, vel etiam utriusque lateris, cum exquisitissimis doloribus, sputis cruentis, purulentis & sic porro : De quibus epidemicis & malignis affectionibus catarrhalibus legi possunt Bonett. Phar. Medic. L.VI. p. 284. & Medic. septentr. P. I. Ettmüller Pr. p. 689. Mirum enim, quantopere θia in corpore nostro ludant, ut licet per naturam neque pure acida, neque alcalica vel muriatica, sed summe temperata & blandissima existant, tamen pro diversis ibidem motionibus, digestonibus & combinationibus innumeras sane formas & figuras induunt, à quibus tot lusus quoque morborum, etiam malignorum & venenatorum, in specie vero catarrhorum dependent ; quam in rem plurimas demonstrationes vidi apud Chemicum & Medicum curiosissimum Le Mort, Doctorem & Patronum meum observanter colendum, quarum etiam mentionem fecit Tract. de Chemicæ utilitate & nobilitate, p. m. 124.

Tb. XX.

Atque his omnibus observatis etiam diagnosis cuiuscunque catarrhi, aut morbi catarrhalis latere nequit : Id solum adhuc addendum, quod catarrhis praesentibus, aut solum concurrentibus, loca potissimum glandulosa capitis, colli, thoracis, aliarumque partium affligantur cum horroribus, tumoribus, inflammationibus, doloribus &c. & quidem magis circa vesperam, ubi propter luminis solaris absentiam aer densior

& gravior factus poros corporum magis constringit, condensat, humoresq; coagulat & inspissat. Hinc etiam ægros tales communiter simul corripit coryza, quam dolor grayis capitis, dentium, lumborum & artuum comitatur cum tusi crebra, sicca vel humida: In aliis dolor occupat articulos, vel latera thoracis plus minus acutus, cum vel sine inflammationes sic porro, quibus omnibus si causæ antecedentes, constitutio nempe atmospheræ, diæta & temperies ægrorum simul conjunguntur, eo certius de natura & specie cuiuscunque catarrhi & facilius concludere licebit. Veteres quidem imprimis *Hæfferus Hercule Medico* p. 30. et iam in urinis signa præsentium, aut imminentia catarrorum quærunt: Et certum omnino est, quod pro conditione ac temperatura sanguinis & ex eo oriundæ lymphæ, omnino etiam urina, tanquam productum eorum, quoad consistentiam, colorem, contenta & quantitatem manifeste immutetur; utrum vero serum istud vitiosum extra limites sanguinis jam tum progrediatur, aut in motu suo impediatur & stagnet, id è sola urina, nisi collatis simul aliis circumstantiis colligi nequit: Unde urina quidem spumosa, vel corona in eadem apparens & diu persistens, serum sanguinis viscidum, propterea tamen non statim ejusdem in hanc vel illam partem decubitum & moram, multo minus dolorem capitis in specie significant.

Tb. XXI.

Et pro harum causarum, subjectorum, morborum complicatorum, aliarumque circumstantiarum diversitate deinde etiam prognosis formanda erit. Sic ab externis tantum causis oriundi catarrhi absque cacco-

chy-

chymia insigni omnino minus periculi habent & facilius curantur, secus quibus dyscrasia (corbutica aut labes viscerum conjuncta. Hi enim licet uno loco curati, superstite tamen fomite in massa sanguinea & visceribus subinde ibidem, vel in aliis partibus denuo scaturiunt, & eo crudelius læpe agunt. Talis erat æger quadraginta annorum, cuius meminit *Celeb. Dekkers*, itidem Doctor & Patronus de me optime meritus, in *Exercit Pract.* p. m. 602. qui toties primum doloribus capitis & dentium tentatus, postea circa autumnum valde pluviosum febre quotidiana cum doloribus insuper artuum omnium rodentibus corripiebatur, quibus deinde multis quidem, sed frustra adhibitis omnibus remediis, vesiculæ in universo corpore ardentes, tandem gangræna & mors succedebant. Ex eodem fundamento in senibus uti frequentiores sunt catarrhi, judice *Hippocr. II. aphor. 40. & III aphor. 12.* ita quoque difficilius curantur, eo quod digestiones in iisdem, ob viscerum tonum deficientem quoque fatiscant, indeque cruditates aquosæ, viscidæ, & acidæ de novo generentur. Pariter ratione partium affectarum diversus admodum eventus praedicendus, quæ quo nobiliores & teneriores sunt, eo quoque majus vitæ periculum inferunt & contra, si cætera fuerint paria. Hinc e.g. e decubitu & colluvie ejusmodi serosa in cerebro apoplexiam, epilepsiam, in oculis suffusionem, visus hebetudinem, vel plane cœcitatem, in pulmonibus phthisin, vel suffocationem oriri, jam supra notavimus; Idem judicium facendum de reliquis. Fiunt tamen interdum quoque catarrhi critici, quando humores ejusmodi serosi exuperantes cum recrementis salinis & viscidis in partes

ignobiliores, nares, fauces, intestina decumbunt, & præsente adhuc partium istarum, uti & totius corporis, robore prompte foras rejiciuntur: Hoc nomine, omnino coryza, tussis, diarrhœa interdum à magnis morbis liberare dicuntur. Coriza capitis doloribus blandimentum affert, *inquit Hippocr. 2. prorrh. cerebro,* vel potius glandulis vicinis & sanguine ipso humorum sarcina levato.

Tb. XXII.

Sed misfis his & aliis, inter plurium morborum causas & theorias jam observatis & notis, potius therapiæ catarrhorum me accingo, quæ, uti indicantia omnia svadent, in eo consistit, ut humorum omnium, & in specie lymphæ, circulus naturalis promoteatur, eorum intemperies & vitia quæcunque corrigantur, quantitas excessiva, vel deficiens moderetur, valorum quoque circulantium, glandularum & viscerum tonus & constitutio naturalis reddatur, & tandem symptoma communiter intervenientia præcaveantur, aut ad minimum mitigentur. Quæ sane omnia uti latissime patent, ita, ut rite peragi possint, summam Medici prudentiam & circumspetionem requirunt, nisi Empyricorum more ægris, alias satis afflictis, nocere magis, quam prodeesse velit. Ante omnia igitur subjecta & causæ speciales, licet innumeræ fere, satis dignoscendæ, an lympha tenuis, vel crassa, viscida, acida, vel muriatica, tot gradibus diversa, benigna vel maligna, quantitate excessiva vel deficiente, aut aliis quoque morbis conjuncta peccet. Pariter tempora non solum anni, sed ipsorum quoque morborum catarrhalium probe discernenda, utpote quorum ratio-

ne etiam humorum vitia multis modis immutantur & variant, dum in principio saepius crasiores & viscidiores, in progressu vero & augmento tenuiores & fluidiores existant, & contra. Quorum sane omnium ratione quoque remedia prudenter dirigenda & cuivis causae ac circumstantiae sua appropriata destinanda, quod ut commode fieri queat, omnia quæ & quomodo huc facere queant, ordine jam videbimus.

Th. XXXI.

Et quandoquidem præcipuas & procatarcticas catarrhorum causas inter sex res nonnaturales dictas ante deprehendimus, ideoque etiam earum regimen legitimum uti in aliis morbis, ita in his præcipue præ ceteris maxime necessarium, observandum judicio; Inter quas præcipuus est aer, à cuius intemperiebus quibuscunque, imprimis vero pluviosa, nebulosa & inæquali catarrhos, eosque epidemicos & malignos communiter oriri supra vidimus. Hinc omnibus certe modis curandum à Medico erit, ut eadem quibuscunque remediis corrigantur & evitentur: Quo facient suffimbia & similia. Cavendum præterea, ne quis ab incalescentia corporis in exercitiis, balneis & similibus corpus statim aeri liberiori frigido exponat, qui tum eo intimius penetrat & humorum temperiem motumque turbat. Idem observandum est illis, qui teneroris alias texturæ vitam tranquillam in aere clauso vivunt, vel corpus suum vestibus alias satis muniunt, ne per vices aeri liberius se exponant. Hi enim magis ab eodem afficiuntur, quam qui eo continuo fruuntur, indeque textura magis densa & firma gaudent. Ab hac corporum diversitate etiam fit, quod alii in aere calefacto

facto catarrhis magis infestentur, quando humores in iis quieti & densiores tunc insveto modo magis resolvuntur & commoventur ; E contrario vero alii ab eodem aere curantur.

Th. XXIV.

Pariter alimentorum ratio ita habenda, ut catarrhis sive tenuibus, sive crassis, acidis vel falsis, calidis vel frigidis & reliquis exacte contrariantur : Unde non æqualis omnibus ægris, catarrhis afflictis, diæta commendari potest ; Præ cæteris quidem maximeno-cent cibi potusque acidi, falsi, crassi, fermentabiles; eo quod & stagnationem & acrimoniam seri augeant : Nocent quoque cibi potusque satis salubres, sed nimia solum quantitate, aut tempore & modo indecenti assumpti, quoniam minus digesti, æque ac maligni alii in cruditates morboſas degenerant. Proverbium vero illud : Esuriat, sitiat, vigilet, qui rheumata curat, tantum valet de illis, qui ob vitam nimis otiosam & voluptuosam serositates in corporibus suis cumulant, per abstinentiam curandas ; Quemadmodum alias, judice jam *Hippocrate* nostro, labore & abstinentia multi & maximi morbi curantur, & referente *Plat.l.3.de Rep.Homeri* seculo ne nomine quidem cognitus fuit catarrhus, propter priscorum hominum vitam frugalem & impigram: apud Persas vero sputatores & mucosos male audivisse refert Xenophon. Sic usus aromatum, in specie quoque ceparum, raphanorum, allii, sinapeos & similiūm non omnibus æque nocet, sed iis solum, quibus lympha alias salib⁹ acrib⁹ irrequietis imprægnata; aliis vero phlegmate magis frigido, viscoso & insipido obrutis magis prodest, si cætera fuerint paria: Idem

sen-

sentiendum de vinorum usu , quæ si blanda, spirituosa & pura fuerint, moderate usurpata, languidis & frigidis temperaturis nil nocent, quin potius, viscera confortando & digestiones promovendo, illos maxime juvant. Huc pertinet potus Theæ & Caffe, qui vel solum calore egregie lympham viscidam resolvunt & humiditate larga salia peregrina quæcunque diluunt ac per vias debitas eliminant.

Tb. XXV.

In motu & quiete, somno & vigiliis dirigendis idem observandum, ut pro ratione cautarum specialium in aliis ægris augeantur & commendentur, in aliis vero imminuantur : Nam qui phlegmate alias abundant, omnino læduntur magis à quiete & somno multo, eo quod motus & transpiratio, imò & secretiones aliæ humorum eo ipso denegentur. E contrario, qui catarrhis tenuioribus & acrioribus tentantur, largiori somno & quiete, ad humectandum magis corpus, opus habent: Ita qui in principio morbi catarrhalis sæpe nocet somnus, in progressu & declinatione prodest, & contra.

Tb. XXVI.

Quomodo vero animi pathemata hic dirigenda & moderanda sint, prolixè admodum docet *Schneiderus Lib. V. de Catarrh. Cap. VII.* Per se autem facile patet, quod in mœrore & tristitia motus omnium humorum languescant, ab ira vero & curis nimium turbentur. Et tandem excretiones naturales omnes, quo etiam veneris usus spectat, nisi naturaliter succedunt, ita dirigendæ, ut causæ morbificanti specialissimæ semper detrahant, non vero addant.

Tb. XXVII.

Sed plura eaque præsentiora remedia habemus ē fonte pharmaceutico, inter quæ primum locum merentur, quæ vitia humorum & vasorum superius accusata corrigunt, iisdemque temperiem naturalem reddunt: Quoniam vero eadem non uno, sed variis modis peccabant, ideoque singulis specialia *Alterantia* & corrigentia deberi, quilibet facile intelligit. Unde ubicunque sanguinis lymphæque visciditas & crassities in culpa fuerit, medicamenta non nisi resolventia, attenuantia, colliquantia & diluentia requiruntur, qualia sunt omnia volatilia Θna & Φea, aromatica, spirituosa, nec non alcalia fixa, cinnabarina, Φalia: Quo nomine præ cæteris mihi probantur spirit. C. C. & fuliginis simplex & succinatus, bezoardicus, Ηci f. & aromaticus, oleofusus Sylvii, Φi volatilis, viperarum, Tinct. & Eff. succini, viperarum, Φi, myrrhæ, castor. volat.bals. peruv. lignorum, Φii, catarrhalis & pectoralis *Dn. D. Præsidis*, Θia ipsa volatilia & fixa, cinnabaris Φii & nativa, Φ dulcis, succinum præp. & similia; nec non diluendi gratia aquæ, infusa & decocta lignorum, herbarum balsamicarum, majoranæ, serpilli, veronicæ, betonicæ, sem. anisi, fœniculi, Theæ, Caffe; ē quibus omnibꝫ secundum indicantium suasum, ægrorumque lubitum formulæ, pro usu tam interno, quam externo, facile parantur.

Tb. XXVIII.

Eadem omnia remedia etiam apprime valent, quando præter visciditatem, uti sæpe fit, etiam peregrina aciditas & austeras subesse deprehenditur; saltem ut alcalina & terrea acidum istud absorbentia simul

mul interponantur, qualem operam præter cinnabrina & succinata modo commendata, etiam præstant flores ♀is, ♂ diaph. lap. cancr. percatum, coralliorum C.C. philos. ebor f. Δe, pulv. cephal. March. catarrh. & abiorbens Dn. D. Præsidis, species diaireos. dia ♀is. pulv. Ari, Ireos & similia.

Tb. XXX.

Ita si vasa ipsa circulantia, etiam citra humorum culpam ab injuriis aliis obstruēta, compressa, aut distorta fuerint, ante omnia opera danda, ut vasis istis debita apertio, humoribus vero circulus & transitus promptus reddatur per emollientia, laxantia, aperientia & discutientia. Aut si, canalibus & tubulis plane corruptis, hæc nondum sufficient, tamen curetur, ut per vicinas nihilo secius vias motus humorum dirigatur, atque sic æger ab onere liberetur. Cui fini omnino inserviunt epithemata resolventia, frictiones, scarificationes, aliaque, quæ in sequentibus quoque observabimus.

Tb. XXX.

Quod si vero serum magis tenue, acre & salsum in culpa fuerit, tunc alterandi fine, præter antea commenda absorbentia terrea, balsamica & diluentia quoque conveniunt alia blandiora demulcentia, bolus armena, ♀ sigill. antihecticum Poterii, fior. benzoes, Gumini arab. tragac. succus catechu præp. spec. diatragac. frig. pulv. Haly contra phthisin, emulgones è seminib⁹ 4. frigidis, papaveris aliisq; pulposis; in specie quoque opiatā, theriaca communis & cœlestis dicta, diascord. Fracast. corr. laudan. opiat. pilulæ de styrace Sylvii, de cy-

noglossa, Eff. anodina, catechu, croci, theriacal, papav. err. Infusa & decocta ejusdem cum hordeo & passulis, liquiritia & similia; item sperma ceti, oleum amygd. dulc. syrups papav. comm. & errat. violarum, passularum, jujubarum, gelatina eboris, C. G. cydoniorum. In quibus omnibus adhibendis rursus ita selectus habendus, ut pro causarum gradibus & miscelis variis, imò quoque pro ægri appetitu, prioribus aliis continentur, aut interponantur.

Tb. XXXI.

Ita alterantibus rite directis deinde interponenda, prudenter sunt *Evacuantia*, & quidem primum universalia magis, ut *purgantia*, eaque rursus pro diversitate & in specie pro majori minorive copia humorū fortiora, vel blandiora, & laxantia tantum. Ratio enim sana dictitat, quod humoribus nimium viscidis & crudis fortius resolventia & stimulantia, reliquis vero tenuioribus acribus & alias irrequietis tantum blande laxantia debeantur, habito nihilo secius semper respectu ad vires, febrim aliaque coindicantia, vel contraindicantia. Loco purgantium hic sufficient pulvis gialap. mechoac. magisterium gialap. scammon. ♀ dulcis, M.P. de succino Craton. corr. aloephagin. catarrhal. *Dn.D.Praefidis*; Et laxandi fine infusum, vel decoctum fol. sennæ, de cichor. c. rhabarb. de carthamo, sirup. rosarum & violarum laxativus. Quo fine etiam egregie profunt **Clysteres** laxantes & abstergentes, tam pro adultis, quam infantibus potissimum, quando primæ istæ viæ impuritatibus scatent, aut propter imminentem suffocationem, aliaque contra indicantia, talia per os exhibere non licet. In tempore vero laxationis eligendo,

non

non opus erit, ut adeo ad lunæ mutationes respiciamus, modo humoribus satis fluidis & ad exitum præparatis instituatur; Non cruda sed cocta purgare decet, Hippocrate & ratione suadente. Id tamen adhuc addo, laxantia, sive tragææ, sive pilularum forma sæpius circa vesperam consultò exhiberi, eo quod, poris corporis alias magis condensatis, humores interiora versus cedant, & , dato in tempore stimulo, in intestinis cum euphoria exitum inveniant.

Tb. XXXII.

Interdum fomes catarrhorum & saburra vitiosorum humorum circa ventriculum hærens per superiore exitum affectat, aut plane in coagulum abit & suffocationem minatur, tunc citra moram, in infantibus æque ac adultis, ad vomitoria confugere licet; quæ proinde in catarrho suffocativo & asthmate præcordiali tantopere ab Hartmanno, Jonstonio, Höffero, Riverio, Primerosio aliisque commendantur & tanquam sacra anchora in extremo periculo laudantur. Eidemque scopo rursus sufficient oxysaccharum scylliticum & emet. Ludov. Sirus emet. A. S. corr. ♀ emet. infusum croci metall. vel ♀i vitæ: Cavendum modo, ne in phthisi, hæmoptysi, languore aliisque contraindicantibus exhibeantur, & remedia talia alias generosa & optima, ignominiæ exponantur.

Tb. XXXIII.

Ubi vero tota sanguinis massa & habitus corporis ab humoribus crudis, aquofis & viscidis occupatur, ibi sudorifera potius tam alterando eos, quam resolvendo & per cutis poros dissipando egregie se gerunt, qualia

etiam jam tum inter alterantia, impri nis volatilia laudavi, modo in largiori & continuata dosi, pro exigentia rei, exhibeantur, aut etiam adhuc Tinctura bezoardica, c. vel s. camphora, M.S. aliaque addantur, & ductus naturæ, quæ non cogi, sed duci vult, observetur.

Tb. XXXIV.

Aut si exitum magis per urinarias vias affectat serum, ea colliquatio & secretio quoque *Diureticis* promovenda, sive id agant diluendo & vias lubricando, ut decocta & infusa antea commendata, sive incidendo, fundendo & resolvendo, ut Θ ia volatilia & fixa alcalia & mixta, etiam Θ ta; Qualia jam tum inter alterantia, antea commendata quoque habentur: Quibus solum Tinctura & Arcanum $\ddot{\Theta}$ i, spiritus Θ s & Θ dulcis, bals. $\ddot{\Theta}$ is terebinthinatum, juniperinum vel anilatum & similia pro necessitate addi queunt.

Tb. XXXV.

Sed præter hæc evacuantia universalia etiam habentur particularia, inter quæ præ cœteris hodie maxime excellunt *Errbina*, eo quod acrimonia sua plus minus expansa, non solum serum viscidum & glutinosum in glandulis narium & vicinarum partium egregie fundant, resolvant, sed quoq; fibrillas tunicarum exquisite sensibiles irritando, motus in iis spasmoidicos concitant, quibus confluens humiditas morbosa prompte excutitur, eliminatur, & hac ratione omnino nares, ac consequenter universum caput, ab onere liberatur, ut taceam, quod si balsamica & volatilia ea simul fuerint, aut talia ipsis jungantur, spiritus animales quoque exinde simul reficiantur & recreentur. Ejusmodi errhini

ni plane singularis mentionem fecere *Collectores Ephemeris German. A. I.* mediante quo peregrinus quidam veteranus, absque permutatione & molestia, semper cum emolumento insigni, ingentem quantitatem phlegmatis pro lubitu, & cum stupore præsentium, elicere potuit. Alias vero eidem quoque usui inserviunt nicotiana quæcunque, majorana, betonica, valeriana, lilium convallium, anthos, iris florentina, dictamnus albus, helleborus albus, agaricum & \oplus lum album; E quibus omnibus rite compositis, errhina, pro cuiuscunque lubitu, blandiora vel fortiora, & pro confortandi usu, ambrata, moschata, castoreata &c. fieri queunt. Id autem, quantum quidem in nobis est, cavendum, ut abusus omnis evitetur, quem tamen hodie nimis frequentem non solum in aulis, sed ubivis videre licet, ubi, sine omni discrimine & respectu ad indicantia vel contraindicantia, quasi ornamenti loco, quovis tempore & loco, etiam inter edendum & confabulandum, pyxides ejusmodi pulvere nasaliter instructos naribus admotos habent, quasi vero nares semper excrementis aquosis scateant, aut si scaterent, hac ratione, & sine præmissis universalibus, non novus semper affluxus & decubitus versus caput, & quidem cum periculo apoplexiæ, paralyseos, suffusionis in oculis, læsionis auditus, aliorumque malorum concitaretur; Cujusmodi tristes eventus non raro observantur, & legi possunt apud *Bonet. Med. Sept. L. I. Excell. Wedel. in Amoenitat. p. 457.* Imo etiam serum naturale naribus, oculis aliisque necessarium, hac ratione absumitur, nimis vero tenue, acre & fluxile serum iisdem magis agitatur, malumque exasperatur. Unde etiam *laudatus Wedel.*

Wedet. l. c. graviter monet, quod in omnibus affectibus, ubicunque vi elastica serum in capite peccat, vel plane non, vel cautissime ptarmica adhibenda sint. Requiritur enim semper ad errhina & ptarmica materia apta excutienda & robur naturæ, ne inde irritetur magis, quam juvetur. Monendi ergo omnes sunt, ut talia post principia demum accercentur, & non nisi fonte catarrhorum sanguine prius satis purgato, in obstruktione glandularum capitis, nec ulla cerebri, oculorum, aliarumque partium inflammatione, siccitate, aut alio vitio contradicente, demum applicentur.

Tb. XXXVI.

Alias eandem quoque utilissimam operam præstant *apophlegmatisantia*, sive masticando, sive alia ratione applicata, sed rursus tantum, quando serum viscidum & lentum, minus vero fluxile, tenue & acre, vel etiam deficiens peccat. Neque conveniunt in febre, jam conjuncta, ubi alias motu magis, quam quiete delinquunt humores: Multo minus in pulmonibus jam exulceratis & afflictis, quibus sane, concitando majorem seri affluxum, afflictio adderetur. Unde jam tum *Abusina* apophlegmatismos in phthisi, tussi & pulmonum affectibus cane pejus & angue fugere suafit, etiamsi à capite affluxus fieret, eo quod in partem imbecillem, & plus æquo affectam humorum illuviem prolicerent magis. Judicent ergo ex his quoque, quam male sibi suæque sanitati consulant, qui tabaci sumis, etiamsi sero blando deficiente, nimium indulgent, eo que ipso menstruo optimo salivali & stomachali se privant; quamvis usus ejus alias moderatus in catarrhis imprimis frigidis & viscidis, ratione *Eis* volatilis oleosi resolventis & aci-

dum

dum corrigentis magnam laudem mereatur, de quo videre licet *Horstium Manud. Med. P. I. C. I. & Schneiderum L. II. de Catarrh. C. 2.* Salivatione vero q̄ali hic prorsus non op̄us esse censeo, nisi lues venerea & scorbutus inveteratus, uti quidem s̄epissime fit, catarrhis conjungatur.

Tb. XXXVII.

Suffumigia verò alia è succino, thure, mastiche, benzoe, ladano &c. ad quæ quidem nicotianæ fumus quoq; spectat, hunc usum habent, quod aeris ambientis humiditates superfluas corrigant, & quoque per respirationē intro recepta tales absument, exsiccent & discutiantur. Quorūsum etiam spiritus & oleosa extrinseca, qualis imprimis est spiritus serpilli multiplicis infusionis, cum spiritu *Xci*, *Ess. camphor.* & oleis succini, lavendulæ, anthos, pulegii auctus; pro in unctione verticis, nuchæ & temporum. Item emplastra, sacculi & cucuphæ ex herbis nervinis paratae. Quæ omnia in tempore data, profunt, contra vero nocent.

Tb. XXXVIII.

De balneis quoque hic loci moneo, quod catarrhis obnoxii rarius & tantum in declinatione convenient, eo, quod humores quidem fundant & moveant, sed facile stas in seri copiosioris majorem inducere queunt, quatenus laxatis poris magis illabitur humor, nec prompte & que refluit, imprimis quando etiam à latronibus ejusmodi corpus aeri liberius exponitur & sic frigori intimius per poros apertos penetrandi occasio datur. Unde non rarum est, quod à lotionibus capitis intempestivis abolitio olfactus, vel auditus; in articulis vero inflam-

mationes, tumores, aliaque mala secuta. Id quod etiam de thermis valet, quales quidem ad catarrhos exsiccandos Crato Consil. Med. 56. & seq. commendat.

Tb. XXXIX.

Sed contingit interdum, quod neq; his omnibus remediis pharmaceuticis catarrhorum cura absolvi queat, indeque chirurgica adhuc in subsidium vocare necesse sit, inter quæ hic maxime faciunt *Vesicatoria*, quæ licet etiam seri naturalis & salutaris partem simul elicant, sufficit tamen, hac ratione etiam sero superfluo morboſo, quod Iremediis prioribus superari non poterat, eo decumbendi & egrediendi proxime fores aperi, uti effectus saluberrimi in affectibus oculorum, aurium, narium, artuum, imò ipsius cerebri & nervosi generis toto die testantur, & notatu dignissima observata. Habent Riverius C. I. Obs. 37. Tulpius L. I. Obs. 32. & L. III. Obs. 26. Harder. Obs. Med. 28. Zacut. L. II. Prax. admirand. Obs. 160. & alii. Observetur modo, ut præmissis demum præmittendis universalibus, sive juxta aures, sive nuchæ, capiti, brachiis aut aliis locis, quorūsumcunque serum commode derivari posse videtur, applicentur.

Tb. XL.

Eundem effectum, quamvis segnius præstant quoq; fonticuli in brachiis vel pedibus excitati; Unde ubi periculum in mora, & serum ē profundissimis eliciendum, aut ab ulteriori decubitu versus partem nobiliorem intercipiendum, vesicatoria modo laudata præmittere, præstat, quibus deinde, si opus, fonticulum superaddere licet, nisi ut antea jam monui, alia ratione malis mederi liceat: Dantur enim corpora adeo impura & ca-

cochy-

cochymica, in quibus ob viscerum imprimis lymphæ transcolationi destinatorum labem, aliasq; culpas quotidie novus catarrhorum proventus contingit, ut quotidie etiam purgantia, sudorifera aliaque adhibere opus esset, nisi per vesicatoria & fonticulos commodius absque tanto virium dispendio, ægrorumque incommodo cura succederet: Setaceo vero, utpote nimis crudeli & doloroso remedio, illis rite usurpati nihil opus habemus.

Th. XLI.

Sic *Vene Sectio* neque lympham viscidam acidam, restitanitem, neque tenuem nimis & fluxilem aliamve directe curat, nihilo secius tamen, quando febris & inflammatio partium, aut solum plethora & turgescensia sanguinis conjunctæ, omnino quoque officium suum hic faciet, quatenus tota massa hac ratione non nihil depleta, etiam impetus & affluxus tantus seri & sanguinis intercipitur, moderatur, imo quoque sanguis ab egressu extra limites suos, uti fit in catarrhis cum inflammationibus, præcavetur. Eundem usum etiam hic habebunt frictiones & cucurbitulæ tam siccae, quam scarificatæ, utpote quibus æque sanguis intercutaneus & quoque serum saepius in tempore elicetur & à stagnatione, congelatione, aut decubitu versus partes afflictas & debiles inhibetur. Atq; tantum hac vice de Catarrhis in genere.

S. D. G.

No-

Nobilissimē & Clarissime
DOMINE
P R A E T O R I ,
Candidate dignissime & Fautor
ac Convictor honoratissime.

S' illi demum, judice Hippocrate nostro, medendi facultas concessa, cui neque natura infelix contigit, neque doctrina deest; aut uti Soranus Ephesius exprimit, qui natura & animo Medicus est; ingeniosus quidem, ut citius intelligat, fortis autem & patiens, qui per diem labores & tedium sustinere possit, quando undique horrenda & inservia videt, & alienos casus suas facit esse tristitias: Illam certe Tibi præ multis aliis spondere nullus dubito; utrumque enim hactenus familiaritate & conversatione prorsus jucunda in Te expertus fui, ut Deicav. uoipav. ēvΦιαv., uti de virtute loquitur Plato in Menone, & singularem, ad artem servandorum hominum, propensionem Tibi per naturam insitam esse dixerim. His accedit doctrina, quam à multis annis & è Scholis tot celeberrimorum Doctorum, WEDELII, SLEVOGTTII, RUYSCHII, DECKERI, BIDLOO, LE MORT, aliorumque Tibi comparasti solidam & amp' am. quamque adhuc, ut sapientia tua dignum est, quotidie legendo & consultando excoiere & augere allaboras: Nullum ergo dubium est, ut quæcunque sparta Tibi contingit, eandem sis ornatus; Eaque votorum meorum summa est, ut, quod non vane anguror ac presentio, Patriæ tuae ornamento, Parentibus & Agnatis honoratissimis gaudio, multisque languentibus auxilio & solatio esse possis. Scribebam D. V. Novembr. MDCCI.

Tui addictissimus
P R A E S E S .



